

superstitio, non datur objective parvitas materiae, sed tantum subjective ob indeliberationem actus.

SURDUS ET MUTUS.

1. Dantur duplicis generis *furdi*; quidam enim omnino sensu auditus carent, quidam vero audiunt, si illis alta voce loquamur, aut mediante aliquo instrumento auribus applicato. Datur etiam *furditas* spiritualis, de qua Psal. 35. v. 3. dicitur: *noluit intelligere, ut bene ageret.* Hic de *furditate* solum corporali fermo erit.

2. *Vex mutus* derivatur a verbo *mutire*: dum enim muti sensu animi sui per locutionem exprimere tentant, plerumque eructant has syllabas *mu-mut*. Elucescet ex dicendis in hoc articulo, quod Ecclesia *furdos* & *mutos* non excludat a participatione Sacramentorum ad salutem necessariorum.

CASUS I. Pamphilus, a natiuitate *furdus* & *mutus*, cum periculose decumberet, parentes illius illico advocant parochum, ut moribundum absolvat. Parochus vero, cum perbene nosset, sine fide neminem salvari, & Pamphilum non potuisse sufficienter instrui de mysteriis fidei, dubitat, an absolvere debeat moribundum, aut omnino sacrum eidem viaticum ministrare.

R. Verum quidem est, adultum salvari non posse sine vera fide; dici tamen potest, conformiter ad principia D. Thomae q. 14. de verit. art. 11. de fide. ad 1. *furdos* simul & *mutos* a natiuitate obtinere a Deo donum fidei, si vivant iuxta regulas rectae rationis & luminis naturalis, ac insuper non extinguant in animo, aut suffocent desideria a Deo inspirata ad quaerendam instructionem. Hinc si Pamphilus est baptizatus, & edidit indicia exteriora fidei v. g. vivendo more catholico, assistendo cum omni modestia ac reverentia divino officio, parochus absque omni temeritate poterit credere, eum de fide fuisse instructum per operationem divinam, vel per ministerium Angelorum; ac consequenter deneganda ipsi non est absolutio, maxime si prodatur aliquod signum poenitentiae; immo nec SS. viaticum denegandum erit iuxta Authorem *Conferentiarum Petrocoriensium* Tom. 4. Conf. 1. q. 1. & S. Beuve Tom. 2. Caf. 10. 95. & 151. ac Tom. 3. Caf. 17. si exhibeat quaedam indicia adorationis ac reverentiae erga augustissimum hoc mysterium, & ex signis colligi possit, quod discernat inter cibum hunc spirituales & materiales. Primis Ecclesiae sacculis ad Eucharistiam admittebantur etiam infantes ex uberibus matrum pendentes; & hodie adhuc viaticum ministratur adultis moribundis, si id petierint prius, quamvis jam amiserint usum

usum rationis, dummodo absque periculo irreverentiae fieri possit. *Pontas.*

NOTA. *Surdus* & simul *mutus* a natiuitate non potest absque miraculo sufficienter esse instructus de Sacramento Poenitentiae & Eucharistiae, nisi sub ratione generica signi sacri seu mysterii. Hinc, quia valde dubium est, an ista generica notitia sit sufficiens dispositio ad recipiendum fructum Sacramenti, Eucharistia ipsi nec publice nec privatim, absolutio autem solum privatim, sub conditione, si capax es, concedenda est.

CASUS II. Clodius parochus habet in sua parochia juvenem *furdum* simul & *mutum*, de cuius salute nullam omnino curam gerit; eo quod illum omnis instructionis ac doctrinae incapacem existimet. An non peccat parochus?

R. Absque dubio gravissime peccat parochus: nam homo, etsi *furdus* & *mutus* a natiuitate, sufficienter instrui potest de essentialibus fidei veritatibus per varia signa, quae habent relationem ad illas, & per imagines mysteria Religionis exhibentes. Videntur autem praeter aliis ad hoc conducere imagines representantes. 1. Creationem hominis. 2. Natiuitatem Christi. 3. Adorationem pastorum & magerum. 4. Praecipua miracula Christi. 5. Institutionem Eucharistiae. 6. Praecipuas circumstantias passionis Christi & crucifixionis. 7. Resurrectionem. 8. Et ascensionem. 9. Missionem Spiritus sancti. 10. Quatuor novissima. Si haec imagines proponantur seorsim ac successive, & ad singulas exprimantur convenientes affectus v. g. adorationis, reverentiae, timoris, gaudii, doloris &c. certe imprimunt aliquam ideam ac notitiam Religionis cooperante Dei gratia, quae in huiusmodi circumstantiis nunquam deest. Sic sentit & Author *Conferentiarum Andegavensium* mense Jul. 1704. *Pontas.*

SUSPENSIO.

1. *Suspensio* est censura Ecclesiastica, qua ob grave crimen Clericus privatur exercitio Ordinis & Officii, administratio-
ne Beneficii, & possessione aut perceptione fructuum Beneficii in toto vel ex parte, ad certum tempus vel pro semper. Triplex igitur datur *suspensio*, nimirum ab *Ordine*, ab *Officio*, & a *Beneficio*. Prima privat functionibus actualibus *Ordinum* receptorum. Secunda privat exercitio jurisdictionis, & omnibus functionibus ratione Beneficii, vel muneris ecclesiastici obeundis. Tertia privat fructibus, qualescunque sint, & a iis commodis Beneficii. Haec triplex *suspensio* potest simul in *figi* per sententiam Superioris, & tunc vocatur *totalis*; alias *dici*,

dicitur *partialis*; utraque tamen est mera pœna; quia pro principali objecto solum habet punitionem criminis.

2. Suspendio *ab Ordine tantum* non se extendit ad Ordines inferiores; hinc sacerdos solum suspensus a celebratione missæ potest licite exercere functiones subdiaconi & diaconi: idque conforme est antiquæ Ecclesiæ consuetudini, quæ in pluribus Conciliis presbyteros in pœnam delictorum suorum alligavit ministerio Ordinum inferiorum. Non ita tamen se res habet circa suspensionem ab exercitio Ordinis inferioris: hæc enim comprehendit etiam suspensionem ab exercitio Ordinis superioris; ita ut Clericus suspensus ab exercitio diaconatus irregularitatem incurreret, si obiret ministerium Ordinis altioris, juxta regulam juris: *Cui non licet quod minus est, nec ei licere debet quod est majus*. Polmanus tamen existimat, presbyterum suspensum tantum a diaconatu posse exercere eas functiones presbyteratus, quæ nullam ad diaconatum relationem habent, ut sunt v. g. concionari, & administrare Sacramenta.

3. Suspendio lata in *personam* in hæret eidem, quamvis in aliam migret diœcesin; & Episcopus alterius diœcesis non potest suspensio permittere in sua diœcesi exercitium Ordinum, a quibus in propria diœcesi fuit suspensus. Hinc sequitur, quod suspensus a Beneficio per sententiam judicis in sua diœcesi, eo ipso etiam suspensus sit a Beneficiis, quæ fors habet in alia diœcesi.

4. Suspendio a Beneficio juxta Canones non potest Beneficium resignare aut permutare; quia resignatio aut permutatio necessario supponit jus in Beneficio, quo jure suspensus per censuram privatur.

5. Clericus suspensionem incurrit ipso jure 1. Dum exhibetur falsus titulus simulati Beneficii, vel titulus patrimonii fictus, saltem in diœcesibus, in quibus in sic ordinatos hæc censura lata est. 2. Si recipiantur Ordines sacri ante ætatem requisitam, aut extra tempus a Canonibus præscriptum, aut absque dimissorialibus proprii Episcopi. 3. Si eodem die recipiantur duo sacri Ordines. 4. Si recipiatur Ordo sacer ante ordinem inferiorem. Idem dicendum de iis, qui excommunicati, aut simoniæ rei recipiunt Ordinem. 5. Si quis alium pro se substituatur ad examen prævium ante Ordinationem. 6. Si quis se ordinari curavit ab Episcopo, quem scivit esse excommunicatum, suspensum, aut interdictum denunciatum. 7. Si quis recipiat Ordines ab Episcopo, qui se Episcopatu, & functionibus episcopalibus abdicavit. 8. Si quis recepit Ordinem post contractum matrimonium, quamvis illud non fuerit consummatum. 9. Ipso jure etiam incurrit su-

suspensionem quivis sacerdos tam regularis quam secularis, qui Benedictionem nuptialem impertitur personis alterius parochiæ sine licentia parochi, aut Episcopi contrahentium.

6. Omnes illi, qui suspensi ab Ordine aliquam functionem Ordinis exercent, mortaliter peccant, & etiam irregularitatem incurrunt.

7. Suspendio a jurisdictione contentiosa non punitur irregularitate; cum eam simplex Clericus nondum aliquo Ordine initiatus exercere possit. Idem dicendum de iis, qui suspensi a Beneficio, ejus tamen percipiunt fructus, faciunt locationes aut aliis funguntur officiis Beneficio annexis; tales peccant quidem mortaliter, non tamen incurrunt irregularitatem. Sic etiam irregularitatem non incurrunt suspensi ab officio concionatoris, si concionatur; quia hoc officium seu ministerium non est essentialiter annexum Ordini.

CASUS I. Archambaldus Episcopus nominatim suspensus ab Ordine, vel a jurisdictione declaratus est; quia eodem die alicui subdiacono suæ diœcesis contulit Ordines diaconatus & presbyteratus. An nihilominus functiones episcopales exercere potest?

3. In jure Ordo & jurisdictio sunt duo valde diversa; cumque igitur pœnæ canonicæ sint materia odiosa, & consequenter non extendendæ, suspensus ab Ordine non censetur eo ipso etiam suspensus a jurisdictione, & vice versa; nisi jurisdictio sit necessario annexa Ordini, ut in Sacramento pœnitentiæ, quam proin presbyter suspensus ab Ordine exercere non potest. Si ergo Archambaldus solum sit suspensus ab Ordine, non potest celebrare in Pontificalibus, nec consecrare ecclesias aut altaria; quia hi actus functiones sunt Ordinis, a quo suspensus est. Potest vero exercere actus jurisdictionis episcopalis, ut conferre Beneficia, approbare confessarios, ferre censuras, & ab eis absolvere in foro externo tantum; quia hi actus sunt actus jurisdictionis. Si autem est suspensus a jurisdictione tantum, tunc potest exercere omnes actus Ordinis. Observandum tamen, Episcopum nunquam censi suspensum, nisi expresse nominetur. Pontas.

CASUS II. Metrodorus parochus ruralis, quemdam amicum commodius ut convivio exciperet, illud in caupona parari curavit. Verum ipsius Episcopus omnibus clericis cauponas interdixit sub pœna suspensionis ad sex menses ipso facto incurrendæ, & absolutionem ab ea sibi metipsum reservavit. Quæritur igitur 1. An Metrodorus peccaverit mortaliter cum amico cauponam adeundo. 2. Utrum

fit suspensus non solum ab Ordine, sed etiam a functionibus parochialibus. 3. A quonam sit absolvendus.

¶ Metrodorus peccavit mortaliter juxta S. Gregorium Cap. *Si quis*. 2. Lib. 1. Tit. 33. *Si quis venerit contra decretum Episcopi, ab ecclesia abiciatur.* 2. Cum suspensio lata fuerit sub terminis generalibus absque ulla limitatione aut distinctione, vere suspensus est ab omnibus functionibus ecclesiasticis, & ab omnibus juribus ad Beneficium pertinentibus per sex menses. 3. Intra hos sex menses solus Episcopus eum absolvere potest a suspensione. Elapso autem semestri redit in omnia jura sua absque absolutione. *Pontas.*

NOTA. Si parochus per Episcopum absque malitia sibi formasset dictamen, ab Episcopo hunc casum extrajudicium probabiliter sub lege generali non fuisse comprehensum, non foret suspensus, nec teneretur se gerere pro suspensio.

CASUS III. Dominicus parochus invisens parochum alterius diocesis cum eo in caupona conversatus est; quamvis sciret, a suo Episcopo cauponas esse prohibitas clericis sub poena suspensionis ipso facto incurrendae. An suspensionem incurrit?

¶ Non incurrit: statutum enim dioecesanum est lex annexa territorio dioecesano, & solum ligat eos, qui in eo morantur actu. Hinc Dominicus se extra territorium suae diocesis detinens non incurrit suspensionem, de qua in hoc casu agitur. Bonifacius VIII. in Cap. *Ut animarum*. 2. Lib. 1. Tit. 2. in 6. *Statuto Episcopi, inquit, quo in omnes, qui furtum commiserint, excommunicationis sententia promulgatur, subditi ejus furtum extra ipsius dioecesis committentes minime ligari noscuntur; cum extra territorium jus dicenti non pareatur impune.* Aliud dicendum de sententia personali; quia ea sequitur personam, in quam lata est, quocumque ierit; dummodo ea subjecta sit jurisdictioni Superioris, qui tulit sententiam. *Pontas.*

CASUS IV. Gerasimus presbyter ex sua dioecesi descendens in alia suam fixit domicilium, in qua stabilito domicilio in quadam caupona suis cum amicis prandium sumpsit. Ignorans, in hac dioecesi ingressum cauponae prohibitum esse Clericis sub poena suspensionis ipso facto incurrendae. An coram Deo ob suam ignorantiam a suspensione excusatur? An celebrando postea non incurrit irregularitatem?

¶ Ignorantia tam iuris ecclesiastici, quam facti excusat a quacumque censura; dummodo ignorantia non sit crassa aut affectata. *Ut animarum periculis obvietur, ait Bonifacius VIII. l. c. sententiis per statuta quorumcumque Ordinariorum pro:*

prolatis ligari volumus ignorantes; dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit aut supina. Cum igitur Gerasimus nullam habuerit notitiam de statuto dioecesano, & nec fomniaverit de incurrenda censura ex eo, quod ad cauponam diverterit, ibique cibum & potum sumpserit, non incurrit suspensionem aut irregularitatem, dum postea celebravit: ignorantia enim ipsius, utpote advenae, certe non fuit crassa aut supina. *Pontas.*

CASUS V. Episcopus publico statuto generaliter omnibus constitutis in Ordinibus interdixit hospitia sub poena suspensionis ipso facto. Incurritne Hieronymus acolythus hospitium ingressus hanc censuram, aut etiam irregularitatem, si postea actum Ordinis exercet?

¶ Regulariter loquendo Hieronymus non incurrit suspensionem, ac proin nec irregularitatem: juxta communem enim loquendi modum Clericus non dicitur constitutus in Ordinibus, nisi post receptum subdiaconatum: in poenalibus autem, utpote materia odiosa, verba legis non sunt extendenda ultra significationem communem & ordinariam juxta illud Bonifacii VIII. *Odia restringi & favores convenit ampliari.* Quia tamen Episcopus habet jus hac lege comprehendendi etiam Clericos in minoribus solum Ordinibus constitutos, in hoc & simili casu exploranda erit mens legislatoris. *Pontas.*

CASUS VI. Voconius capacitati ac scientiae suae diffidens praefixo ordinationis die immiscuit se ordinandis, sicque absque omni examine ordinatus est diaconus. An incurrit suspensionem ab Ordine?

¶ Haud dubium est, Voconium suspensionem incurrisse, juxta Cap. *Innotuit*. 3. Lib. 5. Tit. 30. Loquitur ibi Coelestinus III. de tribus Clericis, qui furtive Ordines susceperant, & ait: *Respondemus, quod ordinati in susceptis Ordinibus de juris rigore ministrare non debeant.* Dispensare tamen poterit Episcopus. *Pontas.*

CASUS VII. Mummolus ab alterius diocesis Episcopo subdiaconus ordinatus est, exhibitis confectis Episcopi sui litteris dimissoriis. An incurrit suspensionem ab Ordine?

¶ Incurrit suspensionem. Sic statuit Concilium Aurelianense anno 549. Can. 5. & quidem ipso jure & facto, ut colligitur ex Bulla Pii II. *Cum ex sacrorum*. 17. Nov. 1461. edita. Et haec disciplina etiamnum viget. *Si quis ab alio promoveri petat, inquit Concilium Tridentinum Sess. 23. c. 8. de reforma. nullatenus id ei permittatur, nisi ejus probitas & mores Ordinarii sui testimonio commendentur: si secus fiat, ordinans a collatione Ordinum, & ordinatus a susceptorum Ordinum executione.*

ne, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus. Pontas.

CASUS VIII. Cyriacus solum annos viginti tres natus cum dimidio exhibitio falso ex libro baptismali testimonio presbyter ordinatus est. An incurrit suspensionem? Et si eam incurrit, crimenque ipsius notorium est, ac in eo statu celebravit, a quonam absolvi poterit?

ꝑ. Certum est, eum incurrisse suspensionem, ac, si in eo statu celebravit, etiam irregularitatem. Peccat mortaliter, inquit Navarrus Manual. c. 25. n. 70. qui ordinatur Ordine sacro extra tempora a jure statuta, vel ante legitimam aetatem, & est ipso jure suspensus, & si Ordine utitur, sit irregularis. Si crimen Cyriaci sit notorium, ut in casu ponitur, necessario pro dispensatione recurrendum est ad summum Pontificem, eaque impetranda in Dataria. Si vero est occultum, potest dispensare Episcopus juxta Caballutium L. 5. c. 16. n. 6. Pontas.

CASUS IX. Mutius acolythus Ordines recepit ab Episcopo, qui se abdicavit suo episcopatu & omnibus functionibus episcopalibus, cujusque sedem episcopalem jam occupavit alius. An suspensionem incurrit?

ꝑ. Incurrit. Ita Alexander III. Cap. Requiravit. 1. Lib. 1. Tit. 13. Suspenditur ab Ordine suscepto, inquit Caballutius, quisquis Ordinem sacrum susceperit ab Episcopo, qui episcopatu & Ordinis episcopalis usui renunciavit; & hæc suspensio reservatur Papæ. Pontas.

CASUS X. Humbertus in diocesi Passaviensi natus, transactis in servitio Episcopi Basileensis octo annis, ab eodem subdiaconatum recipit absque litteris dimissorialibus Episcopi sui, scilicet Passaviensis. Mortuo post trimestre Episcopo Basileensi Humbertus ab illius successore eleemosynarius constitutus, elapso biennio ordinatus est ab eo diaconus & presbyter. An Humbertus, postquam decem annis dictis duobus Episcopis Basileensibus interservierat, potuit ordinari ab iisdem sine dimissorialibus Episcopi Passaviensis, quin suspensionem contraxerit?

ꝑ. Ex eo, quod Humbertus ordinatus fuerit subdiaconus ab Episcopo Basileensi, non incurrit suspensionem; cum jam ultra tres annos inter familiares hujus Episcopi fuerit commoratus: Episcopus, inquit Concilium Tridentinum Sess. 23. c. 9. de refor. familiarem suam non subditum ordinare non possit, nisi per triennium secum fuerit commoratus. Diaconatum autem & presbyteratum non potuit recipere ab Episcopo, cui solum per duos annos inter familiares servierat, quin suspensionem incurrerit. Privilegium a Tridentino Episcopis concessum;

concessum, vi cujus familiares suos extradiocesanos in trienniali servitio secum commorantes ordinare possint absque dimissorialibus litteris a proprio Episcopo obtentis, non potest extendi ultra strictum verborum sensum, nec anni in servitio antecessoris transacti computari possunt cum annis servitii impensis Episcopo successori; quia privilegia, utpote vulnera legum, inter materias odiosas censentur, quas intra proprios legis limites restringi oportet. Potuisset tamen Humbertus diaconus & presbyter ordinari ab Episcopo Basileensi, si in ipsius diocesi stabile domicilium figere decrevisset; supposito, quod id factum non fuisset in fraudem, ut se subtraheret jurisdictioni proprii sui Episcopi Passaviensis: interveniente enim ejusmodi fraude ipso jure suspensionem incurrisset. Pontas.

CASUS XI. Martinus diocesanus Augustanus, ut rigorosum Episcopi sui examen declinaret, procuravit sibi tenue Beneficium in alia diocesi, ea intentione, ut ab Episcopo Beneficii sui presbyter ordinaretur, & ordinatus rediret in diocesin suam Augustanam; quod & factum est: nam suscepto presbyteratu mox resignavit Beneficium, antequam ejusdem possessionem adierat, & in diocesin suam rediit. An non ipso jure suspensus est?

ꝑ. Est suspensus; quia, etsi ordinatus fuerit ab Episcopo Beneficii sui, non tamen usus est Beneficio, ut se constanter subiceret Episcopo Beneficii, sed tantum ut se subtraheret jurisdictioni proprii Episcopi. Cum ergo sic egerit in fraudem, commodum referre non debet juxta regulam Innocentii III. *Frans & dolus alicui patrocinari non debent.* Idem declaravit Congregatio Concilii 7. Oct. 1662. his verbis: *Sacra Congregatio Concilii sæpius declaravit, tametsi quis possit ordinari ab Episcopo loci Beneficii; si tamen adeptus sit Beneficium in fraudem, esse male promotum, ac si in susceptis Ordinibus ministraverit, irregularitatem contrahere.* Pontas.

CASUS XII. Manilius presbyter diocesis Andegavenfis transit in diocesin Passavientem, quamvis ab Episcopo suo ad id licentiam non obtinuerit. Elapso octiduo ipse sibi ejusmodi licentiam conscripsit; qua exhibita mox facultatem celebrandi impetravit, ac in quadam parochia, quo se contulit, singulis diebus celebravit. Confessarius, cui Manilius rem exposuit, respondit, eum ipso facto suspensionem incurrisse, & quidem ex duplici capite: 1. Quia fictio licentiæ transendi in aliam diocesin est casus reservatus in diocesi Andegavenfi, cui annexa est suspensio. 2. Quia vi statutorum synodaliū diocesis Parisiensis presbyter extraneus post quin-

decim sui adventus dies absque legitima licentia celebrans suspensionem incurrit. An confessarius bene respondit?

R. Manilius non incurrit ipso facto suspensionem. 1. Non incurrit suspensionem latam ab Episcopo Andegavensi; quia fictio litterarum, cui est annexa suspensio, facta est extra dictam diocesim: statutum autem generale dicecesanum solum ligat eos, qui actu se detinent in territorio jurisdictionis episcopalis. 2. Nec incurrit suspensionem comprehensam in statutis synodalibus diocesis Parisiensis; quia Manilius obtinuit licentiam celebrandi in hac diocesi, licet per fraudem. Licentia celebrandi datur quandoque, si visum fuerit, etiam illis extraneis, qui nullam ab Episcopo suo exhibere possunt facultatem diocesi sua exeundi; & hinc ea non respicit facultatem exeundi tanquam motivum, sed ad summum ut conditionem, nec licentia celebrandi essentialiter dependet ab obtenta prius a proprio Episcopo licentia transeundi in aliam diocesim. *In poenis juxta regulam juris benignior est interpretatio facienda; & juxta Gratianum dist. 1. de poenitentia ad C. 18. poenae proprium casum non excedunt.* Verum si Manilius ipsam licentiam celebrandi contulisset, absque dubio suspensionem latam in diocesi Parisiensis incurrisset, & in ea celebrando, ipsam irregularitatem. Pontasius addit, se super hac quaestione consuluisse Superiores, eosque hanc repositionem approbasse. *Pontas.*

CASUS XIII. Faustinus presbyter, cum in celebratione missae non observaret praescriptas in missali ceremonias, per sententiam Officialis a sacerdotio suspensus est. Hoc non obstante publice oblit ministerium diaconi. An incurrit irregularitatem?

R. Suspensus ab Ordine superiore v. g. sacerdotio, non eo ipso censetur etiam suspensus ab Ordine inferiore v. g. diaconatus; & hinc Faustinus non incurrit irregularitatem. *Sacerdos suspensus ab officio sacerdotalibus, ait Navarrus Man. c. 27. n. 163. administrando in Ordine inferiori, non peccat, neque est irregularis.* *Pontas.*

CASUS XIV. Octavianus ecclesiae collegiatae Canonicus suspensus declaratus est a Beneficio. An ideo etiam privatur titulo Beneficii?

R. Certum est, quod non privetur titulo, sed solum jure administrationis tandiu, quamdiu durat suspensio. Ita Nicolaus III. Cap. *Cupientes*, 16. Lib. 1. Tit. 6. in 6. Ast perderet & titulum Beneficii, si temere contra censuram quidpiam attentasset. *Pontas.*

CASUS XV. Guido parochus ad annum suspensus a Beneficio, sciens, se tandiu non posse percipere fructus Be-

neficii, illud vel resignavit, vel permutavit cum quodam Canonicatu, cujus etiam possessionem adiit. Estne haec resignatio aut permutatio licita & valida?

R. Juxta leges canonicas nec licite nec valide resignare potuit aut permutare; quia ejusmodi actus foret exercitium juris in Beneficio, quo tamen per suspensionem excoedit. Potest tamen, si ex bonis patrimonialibus sustentari non possit, tantum percipere ex Beneficio, quantum absolute necessarium est ad sustentationem ipsius. In Gallia, nisi suspensus per sententiam juridicam privatus fuerit titulo Beneficii, poterit illud resignare, permutare, proventus administrare, eosdem locare aut percipere. *Pontas.*

CASUS XVI. Eparchius parochus a iudice ecclesiastico per sententiam suspensus fuit ab officio. An nihilominus percipere potest fructus sui Beneficii, ut antea?

R. Non convenit inter Authores, utrum suspensus ab officio sit simul suspensus a Beneficio, nec ne. Sententia tamen negativa videtur probabilior: vires enim sententiae, ut ait Ancharanus in Clem. *Cupientes*, de poenis, *ultra intentionem proferentis non se extendunt*, & juxta regulam juris 195. ff. Lib. 50. Tit. 17. *Expressa nocent, non expressa non nocent.* Potest ergo Eparchius, etsi suspensus ab officio, tamen percipere fructus Beneficii. *Pontas.*

CASUS XVII. Gervasius parochus in diocesi Augustana ab Episcopo suo suspenditur a Beneficio. An per hoc etiam suspenditur a Canonicatu, quem habet in diocesi Constantiensi?

R. Distinguendum est, utrum illa suspensio in Gervasium lata sit per modum statuti, vel per modum sententiae. Si lata est per modum statuti, tunc non suspenditur a suo Canonicatu; quia statutum est lex localis, quae tantum ligat intra territorium Episcopi, nec ullum sortitur effectum extra illud territorium, ut declarat Bonifacius VIII. Cap. *Ut animarum*, fin. Lib. 1. Tit. 2. in 6. Si vero suspensio lata est per modum sententiae, & quidem generaliter ac limitate, censura directe respicit personam Gervasii, eumque sequitur, quocumque pergat; & sic suspensus est etiam a Canonicatu Constantiensi, & ab omnibus aliis Beneficiis, quae possidet in aliis diocesis: ubi enim *lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.* Aliud dicendum foret, si Gervasius tantum fuisset suspensus a Beneficio parochiali. *Pontas.*

CASUS XVIII. Marculus vicarius in quadam parochia ob scandalosam conversationem per sententiam iudicis declaratus fuit suspensus ab Ordine, ab officio & Beneficio; redit itaque in diocesim, in qua natus est. An & ibi suspensione

ligatus manet, sic ut in ea celebrans irregularitatem incurrat?

R. Manet ligatus etiam in diocesi originis suæ, & fiet irregularis, si celebret; & id tamdiu, quamdiu non rehabilitatur & absolvitur ab Episcopo, qui tulit censuram. *Si quis presbyter, vel diaconus, vel quilibet Clericus. . . . post evocationem Episcopi sui non obedierit, sed inobediens perseveraverit, verba sunt Concilii Antiocheni Can. Si quis. 24. 7. q. 1. omnimodo ab officio suo deponi debere, nec aliquando spem restitutionis habere decernimus: si vero propter hanc culpam depositum alius Episcopus susceperit, Et ipse a communi synodo poenam merebitur increpationis, tanquam ecclesiastica jura dissolvens. Pontas.*

CASUS XIX. Eleonorus presbyter diocesis Bambergensis a suo Episcopo per sententiam suspensus ab Ordine & ab Officio, obtinuit parochiam in diocesi Trevirensi. Estne hæc collatio valida?

R. Beneficium est jus percipiendi ac possidendi quædam bona sacra Deo, a Papa vel Episcopo constitutum, & collatum Clerico intuitu officii spiritualis. Hoc jus legitime conferri non potest nisi habili ac idoneo ad præstandum officium, aut ministerium obeundum dicto juri ex natura foundationis & intentione fundatoris annexum. Ad hoc autem requiritur in Beneficiato, maxime curato, præter debitam scientiam etiam integritas morum, & ea vel maxime. Jam cum Eleonorus a suo Episcopo fuerit suspensus & inhabilis declaratus ad ministeria ecclesiastica, qui poterit habilis conferri, & ad eadem assumi in alia diocesi? Consequenter collatio parochiæ Eleonoro facta est invalida, utpote nec legitima nec canonica. *Pontas.*

NOTA. Occurrit hic, etiam studiosos quandoque ob corruptos mores aut capacitatem plusquam stramineam eicci ex uno gymnasio, & mox recipi in alio; aut poenitentes juste non absolutos ab hoc confessorio, mox reperire alium, a quo sine hæsitatione absolvuntur.

CASUS XX. Maclovius parochus declaratur suspensus a Beneficio; durante autem suspensione obtinuit Canonitatum. An hæc collatio est valida?

R. Si suspensus declaratus fuit ab omni Beneficio, tunc inhabilis est ad obtinendum novum Beneficium; quia Beneficium datur propter officium; ad hoc incapax est propter censuram. Verum si solum a parochia sua suspensus fuit, tunc valide illi conferri potuit Canonitatus. *Pontas.*

CASUS XXI. Leporius parochus suspensus declaratus a Beneficio, in conscientia se obligari advertit ad dimittendam

dam parochiam. An eam dimittendo aliquam pensionem sibi reservare poterit, non obstante suspensione?

R. Suspendio non reddit Beneficiatum incapacem pensionis. Hinc Leporius, si aliunde ob sua præclara merita & præstita servitia pensione dignus est, eaque ad sustentationem suam indiget, potest sibi eam reservare: pensio enim & Beneficium valde diversa sunt. *Pontas.*

CASUS XXII. Philostratus post contractum cum Titia matrimonium ipsa inscia suscepit subdiaconatum & diaconatum. An ideo suspensionem incurrit ab exercitio horum Ordinum? Et, si suspensus est, a quonam absolvendus erit?

R. Joannes XXII. Extravag. *Antiquæ. unic. Tit. 6.* declarat, eos, qui post contractum matrimonium sacros Ordines recipiunt, ipso jure incurrere suspensionem ab Ordine, Officio & Beneficio, etiam si matrimonium non fuerit consummatum. Juxta Ducasse hæc suspensio est reservata summo Pontifici. S. Beuve autem existimat, in Gallia taliter suspensum absolvi posse ab Episcopo. *Pontas.*

CASUS XXIII. Bertulfus diaconus aut presbyter relicto suo domicilio migrat in regionem exteram, ibique concubinam suam ducit uxorem. An huic crimini annexa est suspensio?

R. Juxta Concilium Romanum anno 1059. sub Nicolao II. celebratum Bertulfus suspensionem incurrit ab omnibus Ordinibus, Officiis ac Beneficiis ecclesiasticis. *Pontas.*

CASUS XXIV. Nymphidius presbyter sæcularis adstitit contractui matrimoniali, eique benedixit absque licentia proprii contrahentium parochi, aut Ordinarii. Num suspensionem incurrit?

R. Certum est, eum suspensionem incurrisse, & ab hac absolvi non posse nisi ab Episcopo proprii contrahentium parochi. Sic statuit Concilium Tridentinum Sess. 24. de reform. matr. c. 1. his verbis: *Si quis parochus vel alius sacerdos, sive regularis sive sæcularis sit, etiam si id sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiæ sponso sine illorum parochi licentia matrimonio conjugere aut benedicere ausus fuerit; ipso jure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur. Pontas.*

CASUS XXV. Parmenianus Religiosus apostata, necdum ab apostasia absolutus, per fraudem id effecit, ut ab Episcopo suo tres Ordines majores reciperet. An incurrit suspensionem? & a quo poterit absolvi?

g. Suspendus est ipso jure ab his tribus Ordinibus; & a solo Papa absolvi potest. Ita decidit Honorius III. Cap. *Consultationi*. fin. Lib. 5. Tit. 9. his verbis: *Respondemus, quod monachus aliquem sacrum Ordinem in apostasia recipiens, quantumlibet suo fuerit reconciliatus Abbati, & receperit poenitentiam, absque dispensatione Romani Pontificis ministrare non poterit in Ordine sic suscepto. Pontas.*

CASUS XXVI. Basilus diaconus in examine ad presbyteratum rejectus, conciliavit sibi cubicularium Episcopi promissis eidem duodecim aureis, si admissionem ad presbyteratum procuraret. Cubicularius procuravit admissionem, & Basilus solvit duodecim aureos. Num Basilus suspensionem incurrit?

h. Incurrit suspensionem præter alias poenas latas in simoniacos; solusque Papa potest eum absolvere, nisi crimen sit occultum: tunc enim etiam ab Episcopo absolvi posset. *Declaramus*, ait Paulus II. Extrav. *Cum detestabile*. 2. L. 2. Tit. 1. *quod omnes illi, qui simoniace ordinati fuerint, a suorum sint Ordinum executione suspensi. Pontas.*

CASUS XXVII. Boleslaus excommunicatione majore ligatus ob gravem percussorem Clerici suscepit subdiaconatum, pondum imperata ab olutione a censura; quamvis sciret, id absque gravi peccato fieri non posse. An suspensionem incurrit?

g. Ipso jure suspensionem incurrit, & quidem reservatam Papa. Ita quoad utrumque statuit Innocentius III. Cap. *Cum illorum*. 32. Lib. 5. Tit. 39. *Pontas.*

CASUS XXVIII. Bartholomæus presbyter accusatur de gravi crimine; & judex secularis vel ecclesiasticus dedit mandatum citationis personalis vel incarcerationis. Poteritne Bartholomæus prosequi functiones suas clericales ante sui purgationem?

h. Magnum est discrimen inter hæc duo mandata: mandatum enim incarcerationis, cum non decernatur nisi pro gravi crimine, sic infamat Clericum, ut functiones clericales peragere non possit; etiam si appellasset, vel obtinuisset decretum defensionis. Sed per solam citationem personalem non incurritur hoc interdictum; quia quoad Clericos nullibi reperitur in jure expressum. Et ex hac differentia inter sententiam citationis & incarcerationis depromitur responsio ad præsentem casum. In quibusdam tamen diocesis, ut v. g. Parisiensi, existat peculiare statutum, quo Clerico, dum citatur personaliter, eo ipso interdicuntur functiones Ordinis; quo prohi casu habendus est pro suspensio, & si hoc interdictum violet, eo ipso incurrit irregularitatem. *Pontas.*

CASUS

CASUS XXIX. Pomponius parochus a parochianis suis accusatus, quod pro administratione Sacramentorum & sepultura pecunias extorserit, non obstante statuto diocesano, quo id prohibetur sub poenis in jure latis, ab Officiali condemnatus est ad restitutionem duorum aureorum, interdicta simul ipsi ad mensam celebratione missæ. An hoc interdictum vera suspensio est? Num irregularitatem quoque incurrit, si ante lapsum mensis celebret?

h. Vera suspensio est; & si Pomponius intra mensam celebret, absque dubio irregularitatem incurrit: Superior enim ecclesiasticus potest suspensionem extendere vel ad totum complexum functionum clericalium vel solum ad partem, ad tempus perpetuum vel limitatum. *Pontas.*

CASUS XXX. Oliverius diaconus per sententiam Officialis ad tres menses suspensus b exercitio Ordinum suorum, elapso tamen mense ocuus denuo suas exercuit functiones, quin a suspensione fuerit absolutus. An irregularitatem incurrit?

h. Licite potuit Oliverius elapso termino suspensionis Ordinum suorum functiones obire; quin opus fuerit absolute. *Suspensio*, inquit Van-Espen Jur. eccles. part. 1. Tit. 10. *ad tempus limitata, ultra tempus non durat, sed lapsa tempore expirat, etiam sine judicis absoluteione; quemadmodum docent communiter Doctores.* In hoc suspensio ab excommunicatione differt; quod excommunicatio non tollatur nisi prævia absoluteione a Superiore legitimo obtenta; suspensio vero ad certum tempus lata cessat ipso momento, quo determinatum tempus expirat, etiam sine absoluteione. *Pontas.*

CASUS XXXI. Laurentius presbyter Lugdunensis venit Lutetias, ubi ob violatum statutum diocesanum suspensionem incurrit. Redit denuo Lugdunum. An ab hac censura absolvi potest a suo Episcopo sine consensu Episcopi Parisiensis, in cujus diocesi censuram contraxit? teneturne recurrere ad Papam, si celebrando in suspensione incurrit irregularitatem?

h. Potest absolvi ab Episcopo Lugdunensi; quia Episcopus domicili locum tenet illius, qui legem tulit. *Ratio est*, ut ait Bonacina de Censur. disp. 1. q. 3. punct. 2. *Quia usque id videtur receptum; usus autem est consuetudo conferre solet jurisdictionem; & est legitima legum interpretis, quando dubitatur de mente legislatoris.* Idem dicendum quoad irregularitatem, si Laurentius eam incurrit. Aliud tamen foret, si Laurentius per sententiam personaliter fuisset suspensus: tunc enim facultas absolvendi esset penes illum, qui pronuntiavit censuram. *Pontas.*

CASUS

CASUS XXXII. Hieronymus parochus ab Officiali dicecesano suspensus ab Ordine, Officio & Beneficio, appellavit ad Metropolitanum aliquot diebus, antequam jubilæum promulgaretur, contendens, sententiam suspensionis suæ esse injustam. Verum prævidens, sententiam definitivam non fore ferendam ante finem jubilæi, quod tamen lucrari sincere cupiebat, an non possit absolvi *ad cautelam*, ut fieri solet in excommunicatione, & id potissimum ex hac ratione, ut possit celebrare, aliasque functiones parochiales obire pro utilitate spiritali suorum parochianorum, qui alias difficulter lucrari possent jubilæum, cum cooperatorem aut vicarium non haberet.

ꝑ. Potest absolvi *ad cautelam* a suo Metropolitanano aut ejus Vicario generali; quod probatur exemplo Honorii III. Cap. *Venerabili* 52. Lib. 5 Tit. 39. Verum Hieronymus Metropolitanano probare debet nullitatem sententiæ contra se latæ, & sufficientem præstare cautionem standi sententiæ definitiva, si causa cadat. Observandum hic absolutionem ad cautelam etiam locum habere posse in interdicto, sed solum personali, non autem in generali, quod fertur in integram civitatem aut parochiam. *Pontas.*

CASUS XXXIII. Aloysius & Hilarius Canonici disputant inter se; an Clericus possit suspendi ob culpam alterius, quin ipse peccaverit. Hilarius tenet affirmativam; & Aloysius negativam, nixus regula juris: *sine culpa non est aliquis puniendus*, & hac ratione; quia etiam excommunicatio valde non potest pronunciari contra innocentem. Cuinam assentiendum?

ꝑ. Assentiendum est Hilario. S. Thomas in 4. dist. 18. q. 2. ad 3. quæstion. 2. ad 1. ait: *Suspensio non tanta pena est, quanta excommunicatio; quia suspensi non fraudantur Ecclesiæ suffragiis, sicut excommunicati. Unde etiam aliquis sine peccato proprio suspenditur, sicut & totum regnum supponitur interdicto pro peccatis Regis; & ideo non est simile de excommunicatione & suspensione.* Allegata regula juris intelligenda est de casu, ubi nulla sufficiens puniendi causa adest: & in hoc sensu Bonifacius VIII. Reg. 23. in 6. ait: *Sine culpa, nisi subit causa, non est aliquis puniendus.* *Pontas.*

NOTA. Prohibitum tamen est, integram communitatem religiosam ob delictum paucorum ab audiendis confessionibus suspendere.

CASUS XXXIV. Herculanus parochus de hæresi ac illicito cum suis pœnitentibus commercio accusatus, potestne ab Episcopo suspendi a Divinis, antequam inquisitio instituta fuerit in conversationem & vitam ipsius?

ꝑ. Ob

ꝑ. Ob publicum scandalum, sive datum sive acceptum, & ob infamiam, qua saltem ex communi rumore notatur Herculanus, potest ab Episcopo suspendi, usque dum, facta ab Officiali inquisitione in mores ipsius, sententia condemnationis pronuncietur. Si innocentem se judicaverit, innocentiam probare tenetur; si autem reus inventus & judicatus fuerit, dimissa parochia in Seminarium vel aliam communitatem se conferre debet ad agendam pro arbitrio Episcopi pœnitentiam. *Fromageau.*

CASUS XXXV. Albinus Clericus ab Episcopo suo interdictus ac suspensus, appellavit ad Metropolitanum, a cujus etiam Officiali denuo rehabilitatus est. Episcopus autem contra sententiam Officialis appellavit Romam; & Albinus durante hac appellatione obtinuit Canonicatum. Estne hæc provisio legitima?

ꝑ. Albinus non potuit durante appellatione Episcopi sui provideri Beneficio; & hinc primum a censura absolvendus est, ut ipsi de novo Canonicatus conferri possit. *Fromageau.*

Vide *Censura. Interdictum. Irregularitas. Ordo. Titulus clericalis.*

SUSPICIO.

1. Suspicio est interna mentis dubitatio, quam quis sibi format de probitate aut vivendi ratione alterius, & quæ inclinat ad iniquum ferendum judicium ob aliquam veri speciem. Suspicionem malam, seu legitimo destitutam fundamento, damnat S. Paulus, eamque 1. Tim. 4. v. 4. invidiis, contentionibus ac blasphemis annumerat.

2. S. Thomas tres distinguit suspicionis species seu gradus. 1. Quando quis ex levibus indiciis dubitare incipit de probitate proximi, quod ex proclivitate humanæ fragilitatis frequentissimum est. 2. Dum quis, licet cum aliqua hæsitacione, credit, alium esse malum, aut malum perpetrasse, idque ex debilibus conjecturis colligit. 3. Dum judex ex mera suspicione aliquem condemnat, quod sine peccato mortali fieri non potest.

3. Observandum, hominem perversum facile suspicari, alium pariter esse perversum; majoremque longe propensionem in nobis esse male suspicandi de iis, quos averfamur quam de illis, quos diligimus.

CASUS